

# IVVENIBVS POLITISSLIS

I. G. GVPNERO

C. C. VLRICO

I. A. C. RITTERO

I. C. G. GOLDSCHADIO

CLASSIS PRIMAE NVPER ADMODVM ALVMNIS

S. P. D.

**G**alamum sumere, ac litteras ad Vos in praesens scribere, mihi est animus, minime aculeatas, quae mentes turbare solent et perturbare teneras, sed eas, ex quibus potissimum apparet, atque exstat, quanto candore, quantaque fide, ac quot quantisque gratulandi formulis Vestrum quisque ex nostra classe a me fit dimissus. Vbi uero inter dicendum uale Quatuor-Virorum, Aristippi, Ciceronis, Plinii et Abbatis Bernhardi, a Vobis, destinato haud dubie consilio, mentio est facta, singularia ob argumenta praeter alia ex illis, quae lucubrarunt, operibus ad elabrandas uestras orationes hausta: caput artis esse, putauit, non nulla prius de his ipsis praestruere, quam ad gratulationem amicam et optima, quibus Vos persequor, omina, qualia me Vobis debere, arbitror, accedam.

*Aristippus* est unus, cuius uerba de *bene sperando* una cum ratione grauiori sat eleganter in medium sunt allata, et accomodata peropportune: I) Est autem sciendum, antiquioribus temporibus plures hoc eiusdem suisse nominis, ex quibus eos, non multis memorabo, quorum alterum *Historiam de Arcadia* scripsisse, posteriorem *Philosophum ex noua floruisse Academia*, a Diogene

Laertio

I) Perorauerat VLRICVS meus de *bene sperando* ad huius Aristippi uerba:  
*Bene speremus; hominum uestigia video.*